



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 31. Angliæ beneficia ecclesiastica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1373.

§. XXXI.

*Angliæ beneficia ecclesiastica.*

*Valsing.*  
p. 18.

*Rayn. 1374.*  
n. 21.

Hoc anno Eduardus III Anglorum Rex Papam per Legatos oravit, ut Angliæ beneficiorum in Romana curia vacantium reservationes omitteret; Cleroque libertatem eligendi Episcopos, ac eos confirmandi jus Metropolitæ relinqueret. In aliis quoque rebus multis læsos se conquerebantur Rex, & Angli. Itaque Gregorius in Angliam misit Episcopos Pompejopolis, & Senogalliæ, ac Ægidium Sanctium Munnum Ecclesiæ Valentiniæ Præpositum, qui Regi Eduardo hanc facerent declarationem: I. Causæ omnes, quæ beneficia, quamdiu vacant, Regio juri obnoxia contingunt, & in curia seu Romana, seu Anglica modo agitantur, differentur in Natalem S. Joannis Baptistæ diem anniversariam primo futuram; postea vero resumî, & iterum tractari poterunt. II. Qui ex autoritate Apostolica in Anglia beneficia tenent, manebunt in possessione, quæ propterea haud poterit turbari. III. Si cathedrales interim, vel aliæ vacabunt Ecclesiæ; ac Rex hac occasione nominationem ad quædam beneficia esse suam contendet, nihil novum faciet, quod obesset litigantibus, aut aliis, qui ea conferendi jus

a Sum-

a Summa Sede obtinuerunt. Reliqua <sup>Sæcul. XIV.</sup> declaratio similes continet cautiones, ne <sup>A.C. 1374.</sup> quid novetur usque ad præfixam diem. Mandatum Legatis dedit 21 Dec. 1373.

§. XXXII.

*Ecclesia Polonica.*

**M**illeccius Sacerdos & Canonicus Pragensis Gnesnam Poloniæ urbem petierat: ubi per speciem pietatis hæreses e suggestu spargebat. Edoctus id Papa Gnesniano Archiepiscopo Idibus Januariis anno 1374 scripsit, ut in rem inquireret, & in Milleccium, si fontem inveniret, animadverteret. In litteris decimo sequentis Februarii datis ad Imperatorem Carolum Regem Bohemiæ, ubi Milleccius serere suos errores coeperat, memorat Gregorius, se hac de materia scripsisse Archiepiscopo Pragensi, ac Episcopis Vratislaviæ, Litomesci, & Olomutii; rogatque Carolum, ut ea, quæ hi Præsules agerent, autoritate sua fulciat.

*Rayn. 1374.  
n. 10.*

*n. II.*

Tunc Poloniam turbabat factio Monachi aspirantis ad coronam. Regi Casimiro III Nonis Novembribus anni 1370 mortuo successerat Ludovicus Rex Hungariæ tanquam genitus ex Elisabetha ejus sorore, Ladislai Locteci filia. Die Dominica post solenne S. Martini decima septima Novembris eodem anno 1370

*Duglos. l. 9.  
p. 1162.*

*Lib. 10. p. 7.*

*His. Eccles. Tom. XXIV. S Cra-*